



Prima disputatio contra Concilium Tridentinum de autoritate conciliorum in Ecclesia Dei.

<https://hdl.handle.net/1874/423063>

5

PRIMA
DISPUTATIO
CONTRA CONCILIVM
Tridentinum.

DE

AVTORITATE CONCILIO-
rum in Ecclesia Dei.

QVAM

Deo Duce, & auspice Christo:

AVTORE ET PRAESIDE,

REVERENDO

ET CLARISSIMO VI-
RO, D. IACOBO ANDREAE, S. S.
Theologiae Doctore & Professore celeberrimo, Ecclesiae Tubin-
gensis Praeposito, & Academiae Cancellario dignissimo, Patro-
no ac Praeceptore suo summa pietate & obseruantia colendo:

16. Iulij, hora & loco consuetis, exercitationis cau-
sâ, defendere conabi-
tur

M. GEORGIUS VVUCHTER REVT-
lingensis, Ecclesia Vvanckensis Pastor.



TVBINGAE

Excudebat Georgius Gruppenbachius.

M. D. LXXXVIII.

SACRARVM LITERARVM
IN ACADEMIA TVBINGEN-

si Studiofis, Iacobus Andrea. D.

salutem.

CVM pro more & consuetudine Scholæ nostræ in ferijs canicularibus à publicis
lectionibus Theologicis audiendis vobis vacare liceat, visum est, exercitij causâ,
singulis septimanis Disputationem proponere.

Occurrunt autem nobis duo diuersissima argumenti genera, Studiofis sacra-
rum literarum cognitu valde necessaria quæ partim Iesuitæ, partim Caluinistæ, nobis
suppeditant Qui etsi capitibus distincti, tamen instar Samsonicarum vulpium caudis
colligati sunt Quorum hi terros & abominandos errores, non modò de Sacramentis,
verum etiam de multis alijs, ijsque præcipuis doctrinæ Christianæ partibus Ecclesiæ
Dei propinant, & eosdem longe lateque propagare conantur: illi verò Tridentini Con-
cilij Idolomanias & superstitiones Pontificias iam pridem ex Ecclesia Dei, reuelatione
verbi ipsius exterminatas, omnibus denuò persuadere conantur. Quod quidem vtrum-
que non negligenter, sed magno & indefesso studio agunt, si qua ratione Ecclesias piè
recteque constitutas vel prauâ doctrinâ corumpere, vel malitiâ & imposturis, prorsus
euertere possint.

Cum igitur Diabolus, tanquam leo rugiens, circumeat, quærens, quem deuoret
vtilem & salutarem velitationem inter Studiofos institueri libuit, quâ præparati & ex-
pediti aduersus vtrumque hostem suo tempore, Spiritus sancti armis instructi, pro Ec-
clesiæ Dei salute, & veritate doctrinæ cœlestis feliciter pugnare possint. DOMINVS
Iesus nos suo sancto Spiritu gubernet, & regat, vt institutum nostrum ad nominis sui
gloriam, veritatis doctrinæ cœlestis illustrationem, & æternam salutem plurimorum
hominum cedat. Amen. 18. Iulij. 1588.

1

DISPUTATIO
DE
A V T O R I T A T E C O N C I -
L I O R V M I N E C C L E -
S I A D E I .



Conciliorum in Ecclesia Dei magnam auctoritatem semper fuisse, nemo negare potest.

1. *Concilium autem intelligimus congregationem Doctorum Ecclesia, qui ad controversias religionis cognoscendas & dijudicandas conveniunt.*
2. *Superuacaneam autem Disputationem existimamus, cum quaritur, penes quem potestas convocandi Episcopos esse dicatur.*
3. *Alias enim ipsi inter sese vel plures vel pauci numero de Concilio instituendo deliberarunt, sicut Actor. 15. legimus: Apostolos & Seniores convenisse, ut viderent de questione ab haeresi Pharisaeorum proposita, qui in ea opinione versabantur, quod oporteat Gentes ad fidem Christi conuersas circumcidi, & praecepta legis Mosaeicae seruare.*
4. *Quod verò Petrus hanc auctoritatem sibi sumpsit peculiarem, quâ ipsi soli à Christo concessâ, hoc fecerit, non legitur.*
5. *Postquam verò propagatione Euangelij in vniuersum orbem facta, Ordines Episcoporum constituti sunt, Metropolita cuiusq; hoc officium fuit.*
6. *Sin verò generalis Synodus convocanda fuit, id solius Christiani Imperatoris erat, cui Episcopi omnes vocati parebant, quod minime factum esset, si quando ex Episcopis, idem tractassent. Quod imprimis quatuor Oecumenicorum Conciliorum, Niceni, Constantinopolitani, Ephesini & Chalcedonensis historia docet.*
7. *Id eoq; merito Romani Episcopi arrogantia damnata est,*

qui hanc Tyrannidem in Ecclesia contra Christianorum Imperatorum auctoritatem sibi vendicare conatus est, quasi penes ipsum solum potestas cogendi concilij esset, sine cuius auctoritate Episcopi non legitime congregati essent.

8. Qua in parte non modò impietas Antichristiana, sed etiam pudenda vanitas ad summam sedis Antichristi Romani confusionem patefacta est, qui contra Episcopos Africanos in Concilio Mileuitano, vbi Augustinus aderat, Tyrannidem ipsius non approbantes, & qui ad Romanam sedem prouocauerant, excommunicati essent, eam à Concilio Nicæno sibi concessam impudenter asserebat. Qua de re cum Legati Constantinopolim, & ad Græciæ vrbes missi essent, vbi exemplaria minùs suspecta habebantur, fraus ipsorum manifestè deprehensa est.

9. Et deestandum crimen falsi est, quòd Gratianus ad stabiendam Romanæ Sedis Tyrannidem, Canonem Concilij Mileuitani 22. viciare non veritus est, quo sub pœna priuandæ communionis ex Africa ad transmarina iudicia prouocare prohibitum fuit. Malam. fide sequètia verba Canonis adiecit: Nisi forte Romanam sedem appellauerint, quæ verba in Canone Mileuitano minimè habentur: eaq; manifestè cum Canonis verbis præcedentibus pugnant: cum per transmarina iudicia nihil aliud, quàm Romanæ Sedis iudicia intelligantur, ad quam Africani quidam Episcopi prouocare conabantur.

10. Cùm igitur Spiritus Sanctus certis locis & personis minimè sit alligatus, cuiusq; prouinciæ Episcopi & Ecclesiarum Doctores, quacunq; ratione, siue per Metropolitanam, siue regionis principem, siue aliàs communicato consilio conuocentur, modò in nomine DOMINI nostri Iesu Christi, ad controuersias ex solo Dei verbo dijudicandas conueniant, nihil prorsus refert.

11. Siquidem nulli Concilio, quantacunq; eius auctoritas fuerit, à Deo absoluta potestas tradita est, vt in controuersijs Ecclesiasticis prætorica auctoritate pronunciare audeat, qua, propter officij & perso-

nae auctoritatem, sicut in ciuilibus iudicijs fieri solet, alijs Ecclesijs standum sit.

12. Limitata enim & certis legibus astricta est omnium Episcoporum & Conciliorum auctoritas, quò minus pro arbitrio aliquid in rebus fidei statuere possint.

13. Norma autem, Canon & regula vnica omnium Conciliorum, siue generalia fuerint & Oecomenica, siue prouincialia, secundùm quam omnes controuersias cognosci, & dijudicari oportet, sunt Prophetarum & Apostolorum Scripta, in Canone librorum sacrae Scripturae comprehensa.

14. Et hoc illud Apostoli pertinet: Si nos ipsi, aut Angelus è ^{Gal.} caelo aliter Euangelizauerit uobis, praeterquam, quod Euangelizauimus uobis, Anathema sit.

15. Si enim in potestate Apostolorum non positum fuit, ut suam doctrinam mutarent semel traditam, multò minus id Apostolorum successoribus permissum est, siue plures siue pauci numero ad Ecclesiasticas controuersias dirimendas conueniant.

16. Canonica autem scripta minimè appellantur, quòd in Canone alicuius Concilij haec auctoritas sacrae Scripturae libris sit data.

17. Quòd enim ex fabulosis Canonibus Apostolorum proferunt, suo ipsorum testimonio uanitati conuincuntur, quòd Clementis quoque scripta in illis Can. 84. canonizantur, qui non modò à veteri Ecclesia reprobati, sed etiam in Concilio Tridentino exclusi sunt.

18. Desumpta autem est haec librorum sacrorum appellatio ex D. Pauli Epistolis, in quibus aliquoties repetita est. Phil. 3. τῆ ἀντιστασὶς τοῦ καὶνῶν. Eodem procedamus Canone, ut simus concordēs. Gal. 6. ὅσοι τῆ καὶνῶν τῶν σοιχῶσθαι. Quicumque secundum Canonem hunc incedunt, pax super eos.

19. Ideo autem hoc nomine appellati sunt, quòd regula sint ueritatis rectissima & absolutissima, secundum quam absque omni de-

fornicato & curvitate spiritualis structura Ecclesie Dei perficitur, neque vssiam à vero aberretur.

20. Quod Spiritus sanctus, per os Prophetarum & Apostolorum aperire confirmat, sicut scriptum est: Ad legem, & ad testimonium. Quod si non dixerint, iuxta verbum hoc, non erit eis maius lux, &c. Item: Habent Moysen & Prophetas. Item: Quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia Dei.

21. Ex quo manifestum est, decreta Episcoporum in Concilio minimè edicta pratoria esse, quibus sine contradictione standum sit.

22. Si enim cum Scriptura sacra pugnare deprehendantur, nequaquam pro veritate amplectenda, sed tanquam pestis fugienda, & damnanda sunt. Id quod primicivus Ecclesie purioris Doctores omnes uno ore & unanimiter consentiunt.

Augustinus, contra literas Peliliani, libro. 3. cap. 6. Si quis sine de Christo, sine de eius Ecclesia, sine de quacunque alia re, **QVÆ PERTINET AD FIDEM**, vitamq; nostram, non dicam, si nos, sed quod Paulus adiecit: Si Angelus de celo vobis annunciauerit, **PRÆTERQVAM, QVOD IN SCRIPTVRIS LEGALIBVS ET EVANGELICIS ACCEPISTIS**, Anathema sit.

Hieronymus super Epist. ad Titum. Sine auctoritate scripturarum garrulitas non habet fidem. Idem, Matth. 23. Quod de scripturis auctoritatem non habet, eadem felicitate contemnitur, quæ probatur.

Chrysostomus, in Psal. 57. Si quid dicitur absq; scriptura, auditorum cogitatio claudicat. Verùm ubi è scriptura divina vocis prodijit testimonium, & loquentis sermonem, & audientis animum confirmat.

23. Neque verò hæc arrogancia contra Conciliorum auctoritatem, aut carnalis de sanctis scripturis cogitatio, sed indubitata veritas & Ecclesiæ Dei necessaria doctrina est.

24. Etenim fides nostra, cum sit Apostolo teste, ὑπὸς Χριστοῦ, sub. Heb. 11. stantia & fundamentum rerum sperandarum, & certissima ad eos infallibilis demonstratio eorum, quæ non videntur, nequaquam humanæ auctoritate, sed indubitato & expresso Domini verbo nisi oportet.

25. Hinc idem Augustinus: Non audiamus: hæc dico: hæc dicis: Sed hæc dicit **DOMINVS**. Item Hieronymus: Spiritus sancti doctrina est, quæ Canonicis literis prodita est. **CONTRA QVAM SI QVVD CONCILIA STATVANT, NEFAS DVCO.** De unitate Ecclesiæ cap. 3. Hier. Super Gal.

26. Ex quibus indubitata sequitur, non vnus generis Concilia esse, quæ in Ecclesia visibili in hoc mundo celebrantur.

27. Scriptura enim manifestò restatur, quadam Concilia malignantium esse, sicut scriptum est: Odiui Ecclesiam malignantium, & cum iniquis non sedebo. Psal. 26.

28. Cuius in vtroque testamento exempla extant manifestissima. Tempore Achab regis Israelis quadringenti Prophetæ congregati erant, qui contra Micham Prophetam vno ore pronuntiabant, in quibus Spiritus mendacij erat. 2. Paral. 18.

29. Sic contra Christum & Apostolorum eius doctrinam summum Sacerdotum & Phariseorum Hierosolymis Concilium collectum fuit, in quo Christus & doctrina eius, ipso crucifixo, in Apostolis aliquoties damnata fuit. Matth. 26.

30. Ex quibus manifestè apparet, non sufficere, in ijs, quæ fidem & salutem nostram æternam concernunt, Conciliorum decreta & auctoritatem proferre, nisi ex scriptura sacra Canonica indubitata fidem faciant.

Hæc

Huc grauiſſima Auguſtini ſententia pertinet, qua Maximinum hæreticum de Conciliorum decretis litigantem repreſſit: Nunc ego, inquit, nec ego Synodum Nicenam tibi, nec tu mihi Ariminenſem debes tanquam præiudicaturus obijcere. Nec ego huius autoritate, nec tu illius deineris. Scripturarum autoritatibus, non quorumcunque proprijs, *QVÆ VTRISQVE COMMUNES*, Res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione ceteret.

Nequaquam verò hac doctrina piarum Synodorum & Conciliorum labefactatur autoritas. Cum non nuda decreta tantum, tanquam pratoria edicta protulerint, ſed ex Scripturis ſanctis ad rationem ſuorum decretorum reddendam ſemper parati erant.

Quæ cauſa fuit, quòd Conſtantine Magnus Imperator Chriſtianiſſimus, cum Concilium Nicenum 318. congregatiſſis Episcopis aperiret, Codicem librorum Canonice veteris & noui Teſtamenti regulam & amuſſim propoſuerit, & oratione tanto Imperatore digna longè grauiſſima & piſſima exhortatus ſit: Euangelici, inquit, & Apoſtolici libri, & antiquorum Prophetarum oracula planè inſtruant nos, *QVID DE REBUS DIVINIS SIT SENTIENDVM*. Proinde hoſtili depoſita diſcordia ex dictis diuinitus inſpiratis, ſumamus quaſtionum explicationes.

Quapropter neq; contra legem Martiani grauiſſimam, neq; contra conſtitutionem & mandatum Juſtiniani Imperatoris ſeueriſſimum peccat, qui in decreta Conciliorum accuratè & diligenter inquirunt, an verbo *DOMINI* in ſcriptis Prophetice & Apoſtolice comprehenſis conſentanea decreuerint.

Lex enim, qua probari ſe non vult, inquit Tertullianus in Apologetico ſuo, merito ſuſpecta eſt, & ſi non diſcuſſa & probata domineur, improba eſt.

Mulcò verò minùs Romani Antichristi auctoritas, seu potius Tyrannis curanda est, qui sub fulmine Anathematis omnes ab inquisitione decretorum suorum Conciliorum repellit.

Quod enim ex Deuteronomio 17. profert erroris seu impietatis suae patrocinium, proprio seipsum gladio iugulat. Vbi nequaquam summo Sacerdori & Concilio eius absoluta & arbitraria tribuitur potestas, quidvis pro libitu & voluntate precipiendi, sed lege Domini astrictam esse Moise disertis verbis ostendit, qui inquit: Iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies, **QVODCVNQVE DIXERINT, qui praesunt loco, quem elegerit DOMINVS, ET DOCKERINT TE IVXTA LEGEM EIVS.**

Ad quorum Concilium vocati Apostoli, cum eius auctoritate illis denunciatum esset, ne omninò loquerentur, aut dicerent in nomine Iesu, nequaquam illos audierunt, sed aperte contradixerunt.

Etsi verò vox est Gregorij Nazianzeni dura, qui nullius Concilij bonum finem se vidisse affirmat: non tamen per omnia contemnenda & reprobanda videtur, qua docemur, finem quem vulgus potissimum expectat Conciliorum, nequaquam consequi, videlicet ut dissidia & dissipationes in religione per Concilia tollantur, & Ecclesia pia pax & concordia restituatur.

Maiores enim plerunque distractiones post se ebrata Concilia, & secundum verbum Dei dijudicatas controuersias secuta sunt, quam qua Synodos illos praecesserunt. Sicut historia quatuor celeberrimorum Conciliorum, Nicanae & Ephesinae imprimi, restatur. Quae maiores in Ecclesia contentiones secuta sunt, qua Turcicam impietatem tandem pepererunt, qua Arriana impietas confirmata, & in hunc usque diem propagata & in Synodo Nicana expressò verbo Dei damnata.

Neque tamen propterea nullus usus piorum Conciliorum est, quando **IN NOMINE CHRISTI**, pij, & solius

9 1929 673
8
solijs veritatis amantes & studiosi conuenerunt, & ad Scripturæ sac-
cræ amussim omnia dogmata, de quibus litigatur, examinantur, quæ
suum pondus habent, neque tamen examen defugiunt.

Sic non modò S. Scripturæ auctoritate, sed etiam Concilij Niceni
& Patrum Ecclesie primitiue testimonio asserta est Christi diuinitas,
etiãsi Turcica rabies eam blasphemo ore damnet.

Quod verò ad nostri seculi Concilia attinet, siue provincialia, siue
generalia, sicum ijs conferantur, quæ in populo Iudaico, cum in veteri,
tum in nouo Testamento celebrata sunt, ouum ouo non magis simile
videtur.

In quibus non in nomine Christi, sed Papæ Romani Antichristi,
non studio veritatis, sed mendacij, non ad tollendos, sed stabiliendos
errores, Idolomanias, & traditiones humanas in Ecclesiam Dei inue-
ctas, conuenerunt.

Inter quæ Concilium Tridentinum quod primùm sub Paulo. 3. in-
choctum, sub Iulio. 3. continuatum, & sub pio. 4. absolutum fuit,
maximè eminet.

Cuius in Ecclesia Dei, apud verè pios & fideles tanta auctoritas
esse debet, quanta Concilij sub Achab rege Israelis, & summorum
Sacerdotum, Scribarum & Phariseorum tempore Christi & Apo-
stolorum fuit.

2 Theſ. 2.

In quo errores & traditiones humanæ in Ecclesia, sic Deo con-
reptum veritatis vindicante, non modò ad amussim scripturæ sa-
cræ nequaquam examinati, aut mores Episcoporum & Clericorum,
vt vocat, non correcti, sed cum expresso Dei verbo manifestè pugnan-
tes impiè confirmati sunt. De quibus singulis, in sub sequentibus pecu-
liaribus dissertationibus agemus.

F I N I S.

THE STATE OF

NEW YORK

County of

IN SENATE,

January 1, 1880.

REPORT

OF

THE COMMISSIONERS

OF THE LAND OFFICE

IN RESPONSE TO A RESOLUTION

PASSED BY THE SENATE

ON THE 15TH DAY OF MARCH,

1879.

ALBANY:

1880.

PRINTED BY

THE STATE PRINTING OFFICE

ALBANY.

CCN 1345245161